

specimen nihilominus alterum altero post anno subjecisse; quin imò cum utrumque specimen justo severoque examine refutas-
 set doctissimus Theologus *Samuel Theodorus Schænlandus*, post-
 habito tamen omni pudore instituto suo adhæsisse & protrusisse
 in infaustam lucem totius Novi T. versionem Anti-Luthera-
 nam. Dedit DEUS Fanatico-Pietisticum hoc hominum genus
 in reprobum hunc justo judicio sensum, ut postquam se-
 mel antiquam veritatem adulterare & privati Spiritus opiniones
 internæ unctionis & convictionis *μορμολυκεία* persuasum disse-
 minare cœpit, quicquid & quocunque argumentorum robore
 pro veteris doctrinæ veritate dicatur, id omne divino quodam
 supercilio contemnat, dummodo ii, qui pari *Θεομανεία* ducun-
 tur, ipsis svavisime adhinniant, eandemque fraterni spiritus con-
 junctionem amicissimè testentur. Reddet aliquando novator
 instillatorum per venenatam isthanc N. T. versionem errorum
 & collusionis cum vario sectariorum genere gravem justo judi-
 ci, nisi pœnitentiam agat, rationem. *Væ enim homini, per quem
 scandalum venit?* Quod verò majus scandalum esse potest, quam
 cum partim suggillare, partim suspectam ubique reddere Scrip-
 turarum versionem, cui hætenus purioris fidei doctrina unice
 fuerat innixa, & super quam ipsam fidem suam sanctissimam &
 spem salutis immotam innumeræ Christianorum myriades inæ-
 dificaverant? Contra unius privati homuncionis auctoritate sta-
 bilire, quantum in se est, versionem, quæ fundamentum, duo-
 bus integris libellis expositum, præbeat monstrosis in fide erro-
 ribus & deliriis Fanaticorum gregi propriis? Quousque menses
 isti Præcatorii, eidem Lutheri versioni corrigendæ destinati, qui
 si continuati fuissent, integrum emendatorum expositorumque
 Novi T. Bibliorum confecissent, qui verò dextro fato abrupti
 sunt, ad illum ipsum finem vel accesserint, vel ab eodem reces-
 serint, peculiari dissertatione, post luculentam *Michaelis Beckii*
 operam, ostendit collega meus, D. Zach. Grapius, intimo mihi
 affe-